Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1479
Quelle:
Copyright:

ſtatur *Jöcherus* in *Lex. Eruditt.* Et reipſa *Matthaeum* excipiunt *fol.* 137. *Notae in coeteros Evangeliſtas e Biblijs Dn. D. Danielis Heinrici p. m. excerptae*, in quibus Vir doctus non raro catholicos etiam Scriptores excitat, praemiſſisque ad ſingula Evangelia Prolegomenis Capita verſuum ordine pervadit.

III. *fol.* 280. *Rationes pro et contra matrimonium Eunuchi.* Ita inſcripta eſt Farrago Judiciorum et Sententiarum lat. et germ. de duplici caſu matrimoniali, uno nobilis *Sueci* in *Pomerania*, altero Hominis catholici *Itali Dresdae*, quorum uterque Eunuchus, Virgini ſcienti volenti conjunctorum. Judicia haec ſunt Facultatum Theolog. *Lipſienſis*, *Regiomontanae*, *Argentoratenſis*, *Jenenſis*, *Gryphiswaldenſis*, et Miniſterii *Luneburgenſis*, partimque ejusmodi Matrimonia reſcindunt, partim rata habent. Admixtae ſunt etiam horum Judiciorum refutationes, praecipue acris contra *Regiomontanum* adprobans, cujus autorem Adverſarius adpellat D. *Chriſt. Dreierum* virum alioqui non optimae inter Suos famae. Acta et ventilata ſunt haec intra annos 1666—69.

IV. *fol.* 412. Theologi cujusdam Lutherani *Idea vel* Υποτυποσις *pleni Syſtematis Theologici*, duobus *Libris* conſtans, quorum prior inſcribitur: *De Praecognitis Theologicis*, alter brevem ipſius Theologiae delineationem continet. Materia admodum uber eſt, magnusque Autorum numerus indicatur, et quidem, quod Scripturae Interpretes adtinet, Catholici Proteſtantibus mixti. L. II. *Sect.* 1. c. 23. Religio Papiſtica dicitur multiplicis varietatis: *Thomiſtica*, *Lombardica*, *Monaſtica*, *Interimiſtica*, *Jeſuitica*, quod ſane Catholicos ipſos latebat. *Capitibus* ſubſequis agitur etiam de Religione recentium *Græcorum*, *Anabaptiſtica*, *Schwenckfeldica*, *Calviniana*, *Photiniana*, *Weigeliana et Fanatica*, quae dividitur in *Weigelianos*, *Fratres Roſeæ crucis*, *Stifelianos et Meviſtas*. Ad initium *Libri* II. margini adſcriptum habes: 27. *Junii Anno* 1624. Autoris nomen tamen nuſpiam reperi, unde nec dicere poſſim, an haec *Idea* typis unquam commiſſa fuerit.

DCXXXVII.

Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Pagg. 255. 4. per duas columnas exaratus, et a *Leibnitio* miſſus ad *Eugenium Sabaudicum* de Abuſibus in Miniſterio eccleſiaſtico Proteſtantium vigentibus tractat, inſcriptus: *Spiegel der Miſsbräuche beym heutigen Predig-Ampt*. In Monito praevio dicitur *Gryphiswaldiae* noctu aedibus adfixus fuiſſe. Autor, qui ſe Verbi Miniſtrum Zelo Dei actum (*einen Gotts eifferigen Prediger*) adpellat in Titulo, multas et varias obteſtationes, preces, minas ad varios Hominum ordines praemittit, quibus Scripto ſuo pondus, lectoresque conciliare nititur. Tributum eſt illud in XXIII. *Articulos*, videlicet: De Vocatione ad Miniſterium. E. 8